

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0587

0585

0591

0581

0596

ipsam chartam super rupem sanctam posui, et pro quolibet signato et pro aliis, qui memoriae occurrebant, orationem singularem fudi cum devotione tantilla, quantam Deus sua benignitate mihi miserrimo dignatus est dare, supplicans Deo, ut in virtute efficacissimae orationis, ibi in cruce factae, hanc meam exilem orationem acceptare dignaretur, et si non propter mea merita, tamen propter merita eorum, pro quibus orationem fundere decreveram vivorum et defunctorum. Deinde ad alia loca sancta descendи cum charta, et eam super sanctissima loca expandи, commendans inscriptos generaliter et singulariter.

Iam autem medium noctis transerat, et militibus expeditis Missas legere incepimus in quatuor locis signatis fol. 110 in 6 art. Et habui locum in loco unctionis corporis Domini illo mane, et in Missa habui chartam cum nominibus carorum meorum ante me, et ipsam Missam pro eis ordinavi. Die autem facto cantavimus summam Missam in dominico sepulchro de resurrectione Domini, ut patet infra fol. 180 B. Et ita finitum fuit Officium.

Postquam autem omnia completa fuissent, et dominos Mauros exspectaremus, ut nos emitterent, ecce, subito orta est concertatio et corrixatio inter nobiles milites novellos, et tumultus gravis, ex eo, quod quidam de peregrinis se ingesserat, et miles factus fuerat, qui tamen multis rationibus (in-) habilis erat. Erat quidem bonus et jocundus socius, sed dignitati militiae disproportionatus. Hunc peregrini milites, comites et barones, pro temeritate increpabant, alii vero milites sibi consocii eum defensabant, et ita contra se in sancta ecclesia stabant et conclamabant. Cum autem ad Fratrem Johannem memoratum fol. 183 B caussa devoluta fuisse, convocavit omnes milites in ecclesiam golgathianam ante altare majus, et illum, propter quem litigium ortum fuerat, per nomen Dei adjuravit, et omnes suos socios, ut dicerent conditiones illius viri. Quibus auditis, declaravit dictus Frater Johannes, illum nullo modo esse militem, nec pro tali habendum. Et ita res illa fuit (188 A) quietata et pacificata. Et ille bonus socius a militia fuit absolutus. Statim autem adhuc nobis de hac re loquentibus venerunt Mauri et nos de templo ejecerunt, et

Ende

Anfang

